G id est, sufficiens ditare omnes [qui inuocant illũ,] id est, qui pia deuotione in seipsos vocant illum, præparando se dignos tali habitatore. Illis est dives qui inuocant, non modò credunt: quia credere dat remissionem peccatorum, inuocare impetrat promissa dei. Orás inuocat, sed hoc nõ potest nisi prius credat. Iure dixi quia est dives in omnes, nõ in quosdam vel in paucos inuocatores suos: quia sicut Ioël testatur, cum gratiæ tempus prænunciat, [omnis quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit.] Nullus excipitur, nulli gratia hæc denegatur: sed omnis Iudæus & gentilis, cuiuscũque gradus & conditionis sit, quicunque piis precibus inuocauerit nomen domini, præparans se dignum ad excipiendum in sui cordis templũ habitatorem deum, saluus erit æterna salute.

Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quẽ non audierunt? Quomodo autem audient

H *sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittãtur, sicut scriptũ est, Quam*

Isaiæ.52 Nahum.1 *speciosi pedes euangelizantium pacẽ, euãgelizantium bona?*

Probato quod de vtroque populo assumuntur qui salui fiant, ostendit quòd per missionem ad vtrosque factam assumuntur: quam qui non recipit, inexcusabilis est. Quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Ergo oportet credere. Quia [quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?] Inuocatio, inquit, saluat. Nemo autẽ inuocat qui non credit. Nisi enim credíderint, non inuocabunt: & nisi inuocauerint, non saluabũtur. Hoc maxime de gentibus dicitur, ne quis Iudæos tantum putaret ad fidem vocandos. Quomodo inuocabunt Christum in quem non crediderunt?

I Prius oportet vt credant. [Aut quomodo credẽt ei quem non audierunt?] Prius enim necesse est vt ab ore alicuius audiant illum. Credere nanque est ex auditu. Sed [quomodo audient eum sine] aliquo [prædicante?] Necesse est vt aliquis prædicet, à quo cæteri audiãt quid credere debeant. Nõ enim audient nisi prædicatum fuerit. Sed [quomodo] doctores [prædicabunt nisi mittantur?] Non possunt prædicare nisi missi fuerint, quia nõ sunt veri apostoli nisi missi. Et inanis est hominũ conatus, nisi deus missos suos iuuerit. Nec eis annunciandi virtus vlla subsistit, nisi affuerit illis ipse qui misit. Hís dictis refutat Apostolus eos, qui negabant ad incircuncisas gentes mittendos esse præcones Christi, & ostendit salutem per dei gratiam omnibus aduenisse. Salus, inquit, est ex inuocatione, inuocatio ex fide, fides ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione, vt ita totum descendat ex fonte gratiæ. Omnia ergo non ex nobis, sed ex dei gratia sunt nobis, qua præmissi sunt prædicatores nostræ salutis, [sicut] in Isaia [scriptum est: Quàm speciosi,] id est, admirabiliter pulchri [pedes,] id est, gressus apostolorũ mũdum illuminantium, in quo apparet eos à deo mis- K sos, quoniã aliter hoc facere nõ possent. Speciosi sunt, id est, pulchritudine virtutũ & claritate miraculorum ac prædicationis decorati sunt: pedes, id est, incessus apostolorum [euangelizãtium,] id est, bene nunciantium hominibus [pacem,] id est, reconciliationem & concordiam ad dominum, & [euangelizantium bona] regni cælorum.

Sed non omnes obediunt euangelio. Isaias Isaiæ.53 *enim dicit: Domine, quis credidit auditui* Iohan.12 *nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autẽ per verbum Christi.*

Apostoli quidem omnibus euangelizãt pacẽ, sed non omnes obediunt euangelio, vt pœnitentiam de præteritis agentes, & de cætero rectè viuẽtes, studeant habere pacem cũ deo. Nam cum auditus sit ex gratia, necessaria est & alia gratia quæ cor moueat: quia nihil foris proficit sermo docentis, si deus intus cor non tetigerit audientis. Et ve- L rè [non omnes obediũt euangelio,] sed pauci. Nã Isaias voce prædicatorũ dicit, quærimoniã faciẽs de raritate auditorũ: [Domine, quis,] id est, q̃ rarus est [qui credidit auditui nostro,] id est, auditui prædicationis quã à te audiuim⁹ & eis nũciauim⁹? Raro ex multis inuenitur aliquis qui credat. Et qui nõ credũt, manifestũ est quia non obediũt. Auditui p̃dicationis crediderũt pauci de multitudine, [ergo fides] est [ex auditu:] quia ex eo quod audiuimus à doctoribus, incipimus credere: sed [auditus] est non per merita nostra, sed [per verbum] prædicationis Christi, quod ab eius gratia doctores perceperunt.

Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorũ, Psal.18 *& in fines orbis terræ verba eorum.*

Isaias dicit quod pauci crediderũt, [sed ego di- M co, Nũquid nõ audierũt?] Vtique audierũt, & ideo inexcusabiles sunt qui nõ crediderũt. [Et quidẽ] audire potuerunt non solũ proximi, sed & remotissimi. Nã [in omnem terrã exiuit sonus,] id est, fama [eorũ,] id est, apostolorũ, [& in fines orbis terræ, id est, in omnes mundi terminos in circuitu ꝓcesserũt ipsa [verba eorũ,] vt veritas nõ solũ per famã audiretur, sed & per ipsa prædicãtiũ dicta cognosceretur. Quod tamẽ ex tõto necdũ fuerat impletũ, quãdo scribebat Apostolus: sed verbis præteriti tẽporis loquutus est, sicut & ꝓpheta quod futurũ erat, & ex magna parte iam completũ fuerat.

Sed dico: Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet & dicit: Inuẽtus sum à nõ Deute.32 Isaiæ.65 *quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabãt. Ad Israel autẽ dicit:*

Tota